



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXXV. Gregorii Papae I. Ad Bonvm Episcopvm Messanensem. De
vasis sacris pro redemptione captiuorum distrahendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

telligere donet, & vincere. Codicem vero quem dirigeremus, talem, qui vos vt petitis instrueret, minime paratum habuimus, sed in subsequenti transmittemus.

EPISTOLA XXXIV.

GREGORII PAPÆ I.

AD DOMINICAM.

Hortatur vt ad virum suum Romæ occupatum veniat.

Gregorius Dominicæ uxori Ioannis.

LAETOS nos vestræ nimis epistolæ reddiderunt, quod vos vnitati ecclesiæ sociatam, Deo protegente, cognouimus. Et quidem sicut & ipsa scribis ante hoc facere debuisti, quia talis viri coniugem nec ad modicum esse decuit a communionis vnitate disiunctam. Considerare enim debuisti, gloria filia, quanta multitudo fidelium in matris ecclesiæ sinu consistat, quantisque virtutibus sacerdotes, qui in ista fide defuncti sunt, coruscarunt, vel quanta adhuc corpora sua miracula faciant, atque eos non dijudicare, sed plus tantis viris ac sacerdotibus quam tibi credere debuisti. Inter hæc tamen omnipotenti Deo gratias agimus, qui ita cordi vestro lumen suæ veritatis infundit, vt erroris sui pulsæ caligine, rectam vobis viam, quam sequi & tenere debeatis, ostenderet. Gloriosum autem coniugem vestrum, quoisque viuimus, a nobis dimittere nolumus; & ideo eum ad vos reuerti nullatenus confidatis. Et quidem ipse ad vos venire desiderat, sed postquam in ciuitate Romana est, non potest, non ei licet; quia amoris nostri omnino tenetur vinculis alligatus. Melius est ergo vt vos ad eum venire modis omnibus festinetis; quia caput suum potius membra & sequi debent, & quocumque iuerit comitari.

EPISTOLA XXXV.

GREGORII PAPÆ I.

AD BONVM EPISCOPVM MESSANENSEM.

Devasis sacris pro redemptione captiuorum distrahendis.

Gregorius Bono episcopo Messanensi.

ET sacrorum Canonum, & legalia statuta permittunt, ministeria ecclesiæ pro captiuorum esse redemptione

vendenda. Et ideo quoniam Faustinus lator præsentium, vt filias suas de iugo potuisset captiuitatis exuere, trecentorum triginta solidorum probatur debitum contraxisse, ex quibus triginta redditis, ad reliquæ quantitatis restitutio-nem eum certum est non posse sufficere; fraternitatem tuam his hortamur affatibus, vt de argento Meriensis ec-clesiae, cuius miles esse dignoscitur, quod apud vos est, quindecim ei libras, accepto ab eo desuscepto, dare modis omnibus debeatis; vt eo venumdato, & restituto debito, necessitate valeat obligationis absolui. Sed & illud frater-nitas vestra debet esse sollicita, vt si quidem de prædicta ec-clesia vsuale argentum est, suprascriptam quantitatem ac-cipiat: alioquin de sacratis vos vasis hac in re eam quam prædiximus quantitatem præbere necesse est. Nam sicut omnino graue est frustra ecclesiastica ministeria venu-m-dare, sic iterum culpa est imminentि huiusmodi necessita-te res maxime desolatae ecclesiae captiuis suis præponere, & in eorum redemptione cessare.

EPISTOLA XXXVI.

GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM SYRACVSANVM.

Vt contentiones monasteriorum ob agri fines exortas terminentur.

Gregorius Ioanni episcopo Syracusano.

NE religiosorum virorum corda sacerularium rerum contentio a mutua, quod absit, caritate disiungat, magna est solicitudine studendum, vt facillimum finem res possit in altercationem deduc̄ta percipere. Quia ergo indicante Cæsario abbate monasterii sancti Petri, quod in loco est qui Baias dicitur constitutum, comperimus inter eum & Ioannem abbatem monasterii sancte Lucie, in Syracusana ciuitate constituti, grauem esse exortam de qui-busdam finibus quæstionem; ne ipsa inter eos valeat contentio prolongari, certamina eorum agrimensoris defini-tione prospeximus finienda. Et ideo scripsimus Fantino defensori, vt Ioannem agrimensorem, qui de Romana vr-be Panormum profectus est, illuc ad fraternitatem ve-stram debeat destinare. Hortamur ergo vt cum eo ad loca

Cccc iiij